



Per.  
Lat  
020

**Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse**  
Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumpitibus Societatis Magistrorum Catholicon Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 223—808).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268—634).

Megjelenik minden hő 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1940—41: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chéque) posta in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

### Nuntii recentissimi.

«Illustrazione Italiana», periodicum<sup>1</sup> notissimum Italorum fasciculum diei 29 m. Dec. patriae nostrae dedicavit. Imagines<sup>2</sup> luce<sup>3</sup> pictae<sup>2</sup> Gubernatoris nostri, Nicolai Horthy, et primorum Hungariae ornant hunc fasciculum, in quo agricultura, artes, exercitus multis figuris imaginibusque lectoribus ante oculos ponuntur. Cultus linguae Latinae nec non litterarum humanarum ab Italis in patriam nostram importatus per tot saecula vinculis artis<sup>3</sup> duos populos conjunxit conjungitque nunc quoque. Caput<sup>4</sup> primarium<sup>4</sup> «De loco Hungariae in nova Europa» a Stephano Csáky, ministro rerum exterarum scriptum est, cuius collegae: Michael Teleki, Ludovicus Reményi-Schneller, Valentinus Hóman, etc. copiose tractant Hungariam et Transsilvaniam.

Hugo Rácz disc. Makonensis.

**Stephanus e comitibus Csáky,** quo haud quisquam virorum<sup>5</sup> civilium<sup>5</sup> hisce temporibus magis auctoritate et laudibus florebat, quia nobis regionem Subcarpathicam et Transsilvaniam septentrionalem recuperaverat, immaturā morte nobis erexit. Vir magni ingenii et animi generosi non solum in

Hungaria, sed etiam aliis in civitatibus lugetur. Faxit Deus, ut patria nostra filios huius generis habeat quam plurimos!

In Rumenia ferrea quae dicitur cohors seditione Antonescu «Conducatorum» amovere voluit. Quo in tumultu milia civium innocentium a turba legionariorum crudeliter interfecta sunt. Antonescu adiutus a militibus cum Rumenis tum Germanis effecit, ut duces et instigatores<sup>7</sup> cohortis ferreare (aut comprehenderentur aut aufugerent). Orandum est, ut ipse populus Rumeniae huius seditionis radicus finem faciat.

Bellum magis paratur, quam geritur. Britanni iam in Libya pugnantes novissime urbem Benghasim cuperunt. Interim non desinunt Americanos obsecrare, ut auxilium ferant, priusquam Germani ipsam Britanniam aggrediantur.

**Liber memorialis** 25 annorum «Juventutis» non

dum sub prelum mitti potuit, quare summarium in fasciculo mensis Martii publicabitur.

<sup>1</sup> folyóirat = Zeitschrift = revue <sup>2</sup> photographiae <sup>3</sup> szotros = eng = intime <sup>4</sup> vezérkikk = Leitartikel = article de fond <sup>5</sup> államférfi = Staatsmann = homme d'État <sup>6</sup> adja = gebe = que D. donne <sup>7</sup> felbujtó = Aufwiegler = instigateur



Stephanus Csáky et Paulus Teleki in tabula geographica spectant Transsilvaniam arbitrio Vindobonensi nobis redditam.



Iosephus Verdi.

<sup>8</sup> színpadra alkalmaz = für die Bühne bearbeiten = adapter à la scène

## LECTORIBUS MINIMIS

### Jocosa.

Jocus ex ephemeride «Cleveland Leader» (USA) :

*Iudex*: Meruisti-ne<sup>1</sup> iam per totam vitam unquam unicum aureum nummum dollar dictum? — «Verē merui, domine iudex, respondet reus,<sup>2</sup> nuper suffragio<sup>3</sup> meo te<sup>4</sup> adiuvī.»<sup>3</sup>

Thomas Gergely disc. gymn. Acad. Bp.

*I. Professor*: Successores<sup>4</sup> Mohammedi califae nominantur. Et quid est nomen terrae ab iiis gubernatae? — *Discipulus*: California, domine professor.

*II. A*: Interrogo te iterum: quando recipiam a te pecuniam meam? — *B*: Tu vere simil es filio mulieris vicinae, qui semper tales iterat<sup>5</sup> interrogates, ad quas respondere non possum. *Stephanus Dinka*  
disc. gymn. Acad. Bp.

<sup>1</sup> keres = verdienen = gagner  
<sup>2</sup> vádlott = Angeklagter = accusé  
<sup>3</sup> szavaz vkiire = für jmd stimmen = voter pour   <sup>4</sup> utód = Nachfolger = successeur   <sup>5</sup> ismétel = wiederholen = répéter

*I. Iosephus*: Quot ova ieiunus<sup>1</sup> edere potes? — *Stephanus*: Quinque. — *I*: Erras! — *S.*: Quamobrem? — *I.*: Quia tantum primum ieiunus edis!

*Stephano* placet hic iocus. Ergo interrogat Paulum amicum suum: Quot ova ieiunus edere potes? — *Paulus* respondet: Tria. — *S.*: Dolendum est, quod hoc dixisti! — *P.*: Cur? — *S.*: Si quinque dixisses, iocum singularem<sup>2</sup> dicerem.

**Anniversarius** quadragesimus *Josephi Verdi* mortui, popularissimi auctoris dramatum musicorum Italiae, non solum sua in patria, sed etiam multis in civitatibus celebratur. Vindobonae autem memoria *Francisci Grillparzer* poëtae clarissimi Austriaci ante 150 annos (a. 1791) nati renovata est, qui etiam historiam Bánk bani nostri ad actus<sup>3</sup> scenarum<sup>4</sup> composuerat,<sup>5</sup> quae fabula «Fidus servus domini sui» inscribitur.

*2. Magister*: Cuius generis est substantivum<sup>6</sup> ovum? — *Discipulus*: Si gallus<sup>4</sup> inde exit, est generis masculini, sin gallina,<sup>5</sup> feminini est.

*Georgius Illés* disc. Szekszárdiensis.

*1. A*: Scisne nare? — *B*: Certe. — *A*: Ubi didicisti? — *B*: In aqua.

*2. A*: Quid putas, quare muti<sup>6</sup> sint pisces? — *B*: Tu quidem scis loqui infra aquam?

*3. A*: Heus, quam parvi sunt hi globuli<sup>7</sup> caseati!<sup>7</sup> — *B*: Non globuli sunt parvi, sed tuum os est magnum.

*Franciscus Liska* disc. gym. Cisterc. (Baja.)

*1. A*: Quid vult hic strepitus in tabulato<sup>8</sup> superiore? — *B*: Super nos habitat medicus, qui dentes sine dolore extrahit!

*2. A*: Quid videmus super nos, cum disserrascit?<sup>9</sup> — *B*: Caelum serenum. — *A*: Et cum pluit? — *B*: Tectum<sup>10</sup> pluviale.<sup>10</sup>

*3. Agricola* fumabat fistulam<sup>11</sup> fumatorium.<sup>11</sup>  
— Visne cigarrum? — interrogat eum viator, cui foetor<sup>12</sup> fistulae fumatoriae displaceat.

— Bene — respondet agricola, cum accepit cigarrum — cras eum fumabo.

*N. Moccetti* disc. Lucanensis (Helvetia).

*Magister*: Ubi invenitur saccharum,<sup>13</sup> Marce? — *Marcus*: Nescio: mater mea optime abdidit saccharum. — *Fabius Ferrari* discipulus Lucanensis.

<sup>1</sup> éhomra = nüchtern = à jeun   <sup>2</sup> remek = ausgezeichnet = épatait   <sup>3</sup> ffóné = Hauptwort = substantiv   <sup>4</sup> kakkas = Hahn = còq   <sup>5</sup> tyúk = Henne = poule   <sup>6</sup> néma = stumm = muet   <sup>7</sup> túrósgombóc = Topfenknödel = boulette au fromage blanc   <sup>8</sup> emelet = Stockwerk = étage   <sup>9</sup> kiderül (az ég) = es wird heiter = il fait beau   <sup>10</sup> esernyő = Regenschirm = parapluie   <sup>11</sup> pipa = Pfeife = pipe   <sup>12</sup> bűz = Gestank = puanteur   <sup>13</sup> cukor = Zucker = sucre



Fr. Grillparzer in domicilio suo Vindobonensi, ubi 81 annos natus mortuus est.

## Varia.

**Mathias et legatus Turcicus.** Ad regem Mathiam legatus Turcicus venit in oppidum Neostadium Austriacum.<sup>1</sup> Cum accepit Mathias inflatum<sup>2</sup> legatum, forte ibi morabatur, ubi tormenta<sup>3</sup> bellica<sup>3</sup> plurima tonabant. Globi tormentarii volantes et rex fortis adeo terruerunt legatum, ut vix pauca verba balbutire<sup>4</sup> posset. «Iam video — inquit Mathias — mihi aliquem mittendum esse in urbem Constantinopolim, ut accipiam desiderium imperatoris Turcarum!» Livia Kelety abituriens Angelani Bp.

<sup>1</sup> Wiener-Neustadt      <sup>2</sup> pöffeszke = aufblasen = plein de suffisance    <sup>3</sup> ágyú = Kanone = canon    <sup>4</sup> eldadog = stammeln = balbutier

**Saxum<sup>1</sup> Columbinum.**<sup>1</sup> Anno 1241 Tartarici victoriam magnam ex Hungariis reportaverunt. Exercitus Hungaricus paene omnis perii, etiam ipsum regem Belam vix potuerunt equites fidi ex proelio eripere. Manus parva celeriter Tartaricos fugiebat, sed equi non diu velociter currere poterant et equites pedibus fugere coacti sunt. Erratio<sup>2</sup> longa defatigavit equites et rex ipse fame laborabat.<sup>3</sup> Equites non poterant ei victim<sup>4</sup> quaerere, quia continuo a Tartaricis urgebantur. Iam ad oppidum Tordam erant, cum insectatores<sup>5</sup> relicti sunt. Tunc demum requiescebant. Equites fessi alligaverunt<sup>6</sup> vulnera regis, cui etiam cibum quaerere voluerunt, quia Belae periculum fame<sup>7</sup> pereundi<sup>7</sup> imminebat. Sed regio alio tempore opulenta nunc deserta et inculta erat. Animo demissio redierunt equites et a Deo auxilium oraverunt. Et ecce subito columbas multas conspexerunt, quae in saxum volaverunt. Equites celeriter in saxum enixi<sup>9</sup> beate attulerunt regi ova columbina recentia. Servati sunt. Impense<sup>10</sup> gratias Deo egerunt pro salute mirabilis et saxum etiam hodie Columbinum nominatur.

Clara Deák abituren Theresiani Bp.


<sup>1</sup> Galamboskő = Taubenfels = la Roche des Pigeons  
<sup>2</sup> bujdosás = Irrfahrt = marche      <sup>3</sup> szenvéd = leiden = souffrir    <sup>4</sup> élelem = Nahrung = nourriture    <sup>5</sup> üldöző = Verfolger = poursuivant    <sup>6</sup> bekötöz = zubinden = panser    <sup>7</sup> éhhalál = Hungertod = de mourir de faim    <sup>8</sup> csüggéd = entmutigt = découragé    <sup>9</sup> felkészva = erklettern = grimper    <sup>10</sup> buzgón = inständig = avec ferveur

**Ietus<sup>1</sup> summa<sup>1</sup> arte<sup>1</sup> factus.**<sup>1</sup> Specula<sup>2</sup> astronomica<sup>2</sup> Americana famulum quae sivit. Mike Jones,



Emmanuel Lasker campio ludi scaccorum clarissimus, qui nuper mortuus est, a. 1934 Budapestini cum 43 adversariis ludo simultaneo certaverat.

Nigrita<sup>3</sup> officiosus, sed satis stolidus nomen<sup>4</sup> professus<sup>4</sup> est et statim mercede<sup>5</sup> conductus<sup>5</sup> est. Labor eius facilis erat, quem cito perficiebat et partem maximam diei in turri astronomica agebat, et



Danubius ripas et agros inundans has moles glaciatas ad oppidulum Ercsi accumulavit.

stellas spectabat. Nemo videbatur vehementius, quam Jones, oculis, ore, auribus sibi<sup>6</sup> sugere<sup>6</sup> omnia, quorum autem nihil intellegebat. Quādam nocte praefectus speculae forte ad telescopium adstitit, quod cochlear<sup>7</sup> adegit<sup>7</sup> et vix coelum spectare incepit, cum stella praeceps lapsa est de caelo. Mike, postquam silentio devoto<sup>8</sup> spectavit casum stellae, admiratione motus exclamavit: «Hic erat ictus! Vix duo momenta<sup>9</sup> temporis<sup>9</sup> collineavisti!»<sup>10</sup>

Editha Istvánffy disc. Kaposváriensis.

<sup>1</sup> mesterlövés = Meisterschuh = coup de maître    <sup>2</sup> csillagvizsgáló(intézet) = Sternwarte = observatoire astronomique    <sup>3</sup> néger = Neger = nègre    <sup>4</sup> jelentkezni = sich melden = se présenter    <sup>5</sup> felfogad = aufnehmen = engager    <sup>6</sup> magába szívni = in sich aufsaugen = aspirer, sucer    <sup>7</sup> csavart rajta = schraubte daran = donner un tour de vis    <sup>8</sup> tiszteetteljes = ehrfürchtig = respectueux    <sup>9</sup> másodperc = Sekunde = seconde    <sup>10</sup> céloz = zielen = viser

**Catinus<sup>1</sup> ligneus<sup>1</sup>.** Quidam homo noluit cum patre ex eadem<sup>2</sup> mensa<sup>2</sup> vesci.<sup>2</sup> Ille enim iam senex tam inepte<sup>3</sup> edebat, quam pueri paryi. Saepe catinus porcellanicus ex manibus<sup>4</sup> demissus<sup>4</sup> in terra fractus est. Homo igitur catinum ligneum, qui non frangi potest, patri suo facere voluit, ex quo ille ederet. Cum filiolus eius videret patrem laborare, interrogavit: «Quid facis, mi pater?» «Avo<sup>5</sup> tuo catinum ligneum facio. Iam senior est, ergo ex hoc catino posthac edet, quem non franget.» Paucis diebus post etiam filiolus lignum dissecare incepit. Patre interrogante, quid faceret, respondit: «Ego quoque tibi catinum ligneum faciam, ex quo edes, si senex eris». Hominem tantopere puduit<sup>6</sup> impietas sua, ut combureret<sup>7</sup> catinum ligneum et patrem ad mensam reciperet.

Georgius e baronibus Orczy disc. Quinqueecclesiensis.

<sup>1</sup> fatányér = Holzteller = assiette de bois    <sup>2</sup> ugyanazon asztalnál étkezni = an demselben Tisch essen = manger à la même table    <sup>3</sup> ügyetlenül = ungeschickt = maladroitement    <sup>4</sup> elejteni = fallen lassen = laisser tomber    <sup>5</sup> nagyapa = Großvater = grand-père    <sup>6</sup> restelte = sich schämen = avoir honte    <sup>7</sup> éléget = verbrennen = brûler

**De lacu et rivulo.**<sup>8</sup> In alto monte rivulus pusillus<sup>9</sup> et lacus alter praeter alterum fluebant. In aequore<sup>10</sup> lacūs ne una quidem ruga<sup>11</sup> erat, idemque alte tacebat. At rivulus pusillus toto die assidue strepebat.<sup>12</sup> Aliquando rivulus parvus lacum his vocibus appellavit: «Ecce, ego sane parvus sum



Statio ferriviae subterraneae Londiniensis suffugium est plebis pauperis aduersus aeroplanos Germanorum.

et tamen quam magnam vocem habeo . . . tu autem ingens es, neque tamen voces tuas audio». — Respondit lacus: «Fili parve, tu quidem magnam vocem habes, ut audiaris!»

Gisela Varga abituriens Makonensis.

<sup>8</sup>patakocska = Bächlein = rio, petit ruisseau <sup>9</sup>csöppnyi = winzig = petit, minuscule <sup>10</sup>tükör(felszín) = Oberfläche = surface <sup>11</sup>ránc = Runzel, Falte = ride <sup>12</sup>csobog = plätschern = clapoter

## LECTORIBUS MEDIIS

### Monachus Hricsonensis. (6)

Fabula plebis descripta a Victore Rákosi. Latine reddidit: Ios. Guelmino Bp.

Mox tempestas venit. Nimborum<sup>1</sup> vis<sup>1</sup> effusa<sup>1</sup> aquis complevit totum orbem. Tempestas foeda arbores crassas<sup>2</sup> ut herbas tenues vellicavit<sup>3</sup> humo. Monachus autem non desinebat ibidem sedere ante portam arcis et monitus eius personabat omnes oecos arcis. Postea tempus gelidum venit. Aquae gelu constrictae sunt. Nix alta tegebat omnia. Boreas<sup>4</sup> saevus<sup>4</sup> stridebat per valles. Monachus autem non se loco movit, barbā conglobatā,<sup>5</sup> vestitu laceratō<sup>6</sup> assidebat, minitans<sup>7</sup> arcī. Cuius vox semper intonuit, cum Thurzó frustis optimis vescebatur, vel somno dulcissimo fruebatur. Et tunc excidit frustum ex ore eius et ex pace somni tremor factus est.

Eā nocte arcessivit<sup>8</sup> duos satellites suos, sceleratissimos. Hospitio cenae optimae vinique fortissimi exceptit eos. Post cenam saccum auri dedit utrifice. Et tunc imperavit iis, ut illum monachum maledictum arriperent, in turrim arcis traherent,

praecipitarentque<sup>9</sup> in profundum. Quod imperatum erat, factum est.

— Perfecistisne? — interrogavit redeentes. — Quid dixit?

— Detestatus<sup>10</sup> est te.

Thurzó ridere cooperat: «Denique siles,<sup>11</sup> monache senex, dixit, et detestationes tuas rideo».

Et dormitum ivit. Somnus nunc vere non turbatus est. Sed cum experctus esset, conteritus videt monachum stare ante portam, manū minitantem, formā ingenti, sed ex lapide. Et vox audiebatur e terra: «Francisce Thurzó! Dimitte captivam. Reverte ad Deum!»

Et homo robustus concidit. Pueri<sup>12</sup> armiferi<sup>13</sup> in pavimento iacentem invenerunt: «Dolabram,<sup>13</sup> asciām,<sup>14</sup> clavam<sup>15</sup> sumite. Destruite statuam!»

Et omnis populus bellicos arcis invadit statuam et in partes parvas confregit. Postero die autem Thurzó ante lucem, cum velum<sup>16</sup> fenestrāe caute dimovit: iterum videt ante portam monachum lapidem terribilem. Et vox e terra ima iterum tollebatur.

Et ille iterum arcessivit satellites scelerum: «Ite in carcerem et producite feminam!» dixit voce languidā.<sup>17</sup>

Non multo post: «Iam mortua est» — annuntiatum est. — «Eheu, actum<sup>18</sup> est de me!»<sup>18</sup> — balbutiebat<sup>19</sup> tyrannus. Et postea milites, satellites, pueri armiferi, alter post alterum aufugerunt ex arce. Nemo in arce detestata manere ausus est. Vespre tyrannus, cum animi<sup>20</sup> defectio<sup>20</sup> desit:

— Ubi sunt famuli mei? — interrogavit praefectum arcis, senem, qui solus remansit cum eo.

— Aufugerunt, domine. Nos duo sumus in arce.

Et tunc etiam Franciscus Thurzó, scisso<sup>21</sup> vestimento, exutoque calceamento<sup>22</sup>, capillis solutis excurrit ex arce in noctem. Arcemque superbam flamma ex terra erumpens consumpsit. Ex illo tempore tantum ruinae supersunt, sed ibi stat ante eas ista rupes, instar hominis, cuius haec historia traditur ab altera aetate alteri. Quae fortasse facta<sup>23</sup> est, verum est autem, quod docet nos: Mali Deum fugere non possunt et seriosocius poenas luent.

\*

Intentissimi<sup>24</sup> audivimus historiam. Et ultimum aspicientes valediximus ruinis Hricsó, quae flexu<sup>25</sup> fluvii obtectae e conspectu nostro excesserunt.

Finis.

<sup>1</sup> felhőszakadás = Wolkenbruch = pluie torrentielle

<sup>2</sup> vastag = dick = gros <sup>3</sup> kirángat = herausreißen = arracher

<sup>4</sup> dermesztő északi szél = grimmiger Nordwind = bise

<sup>5</sup> csapott = zusammengeballt = ruisselant

<sup>6</sup> rongyos = zerrissen = déchiré <sup>7</sup> fenyegyet = drohen = menacer

<sup>8</sup> magához rendel = kommen lassen = mander

<sup>9</sup> letaszít = herabstürzen = précipiter <sup>10</sup> megátkoz = verwünschen = maudire

<sup>11</sup> hallgat = schweigen = se taire

<sup>12</sup> apród = Knappe = page <sup>13</sup> csákány = Brechaxt = pioche

<sup>14</sup> fejsze = Zimmeraxt = hache <sup>15</sup> buzogány = Keule = massue

<sup>16</sup> függöny = Vorhang = rideau <sup>17</sup> bágyadt = matt = las

<sup>18</sup> végem van! = ich bin verloren = je suis perdu

<sup>19</sup> dadog = stammeln = balbutier <sup>20</sup> önkívület = Ohnmacht = évánouissement <sup>21</sup> megtépett = zerreißen = déchirer

<sup>22</sup> lábbeli = Schuhwerk = chaussure

<sup>23</sup> költött = erdichtet = inventée <sup>24</sup> feszült figyelemmel = sehr aufmerksam = très attentivement

<sup>25</sup> kanyarulat = Krümmung = tournant

## Lectulus.<sup>1</sup>

Fabula ex opere *Caroli Dickens* quod inscribitur : «Fabulae detectoriales».<sup>2</sup> Latine reddidit *Felicianus Gondán dr.*  
O. Cist. Bajanus.

Mirum, quae facinora adulescentuli pessime educati possint committere! Pessumdat se et contundunt pectora parentum et consanguineorum. — Sic orsus est Downton, optio<sup>3</sup> aedilium.<sup>3</sup> — In nosocomio<sup>4</sup> Saint Blanks factum est, quod huius rei veritatem confirmat. Casus tristis fuit, et exitum habuit tristissimum. Praefectus, medicus et quae-  
stor<sup>5</sup> huius nosocomii advenerunt in Scotland Yard et maleficos ignotos, qui fundas<sup>6</sup> vestium auditorum universitetum et nosocomium frequentantium in dies<sup>7</sup> spoliabant, accusaverunt. Ut rem aperirem, mihi commissum est. Cum tribus accusatoribus nosocomium intravi.

— Domini, — dixi post praeviam tractationem, — sicut audivi, fulta nonne semper in uno eodemque cubili committuntur?

— Ita — respondent illi — in uno et eodem cubili.

— Bene. Tunc — vestrā pace<sup>8</sup> — illud cubile perlustrare velim.

Spatiosum et simplex cubile fuit, nonnulla scabella<sup>9</sup> inerant, mensa et in pariete vestiarium<sup>10</sup> denticulatum<sup>10</sup> lacernis et pileis suspendendis.

— Aliquem in suspicionem<sup>11</sup> vocatis,<sup>11</sup> domini?

— Ita est et quidem ianitorem.

— Monstretis mihi, quaeso, hunc hominem, ut observem!

Observavi hominem, deinde ad eos redii.

— Erratis, domini, ianitor accusari minime potest. Paulum ebriosus esse mihi videtur, sed ultra nihil in eo reperi possum vitii. Fur, ut opinor, inter auditores inveniri potest. Si vos lectulum sub vestiario denticulato collocari iussieritis, brevi furem comprehendam. Lectulo operimentum<sup>12</sup> longum iniicie!

Lectulus collocatus est et horā XI, quando nemo auditorum in nosocomio fuit, coram praeditis dominis sub lectulo delitū.<sup>13</sup> Ibi cultro meo in operimento parvam rimam<sup>14</sup> feci. Iam pridem convenit<sup>15</sup> inter nos,<sup>15</sup> ut omnibus auditoribus in atrio congregatis quidam dominorum intraret et in vestiario denticulato suspenderet lacernam, in cuius funda prius marsupium<sup>16</sup> chartarum<sup>17</sup> nummariarum<sup>17</sup> sane plenum condidisset. Paulo post bini, terni intraverunt auditores. Sermocinabantur, lacernas et pileos suos suspenderunt, deinde in atrio nosocomii congregati sunt. Demum venit auditor quidam, qui tamdiu in cubili commoratus est, dum ceteri omnes abierunt. Cum solus relictus est, de vestiario denticulato dempsit pileum bonum, aptavit sibi ad caput, quem cum aptum esse sensit, in parte sua collocavit et suum vilem

Classis IV et V gymnasii Lucanensis in Helvetia

pileum in ea parte suspendit, unde antea bonus peperederat — forte contra me stans. Tunc iam cogitavi hunc esse furem et neminem alium.

Gum omnes auditores in atrio convenerunt, dominus iste advenit cum lacerna. Ostendi ei, in qua parte vestiarri denticulati suspenderet, ubi apte observare possem lacernam. Deinde iste abiit et ego sub lectulo in ventrem procubui<sup>18</sup> et auscultabam. Per tres horas nemo auditorum adiit. Demum venit adulescentulus meus.

Hilariter cantitas permensus est gressibus cubile, constitit, iterum cantitavit, huc-illuc se vertit, et cum nihil periculi animadvertisset, ordine omnes lacernas manibus avidis attrahavit.<sup>19</sup> Cum ad nostram lacernam pervenit manus eius, marsupium chartis nummarii refertum in funda attigit et iam festinavit marsupium aperire. Cum pecuniam in fundam suam condere maturaret, ab imo lectulo proslui: «Detector sum — dixi —, hic iacui; vidi, quae fecisti, marsupium in manibus tuis, pecuniam in sacculo tuo. In vincula te coniicere cogor». Et manus eius catenis colligavi.

<sup>1</sup> vulgo : di van <sup>2</sup> vulgo : detectivae <sup>3</sup> rendőrnester = Polizeiwachtmeister = brigadier (à la police) <sup>4</sup> kórház = Krankenhaus = hôpital <sup>5</sup> seu : curator <sup>6</sup> zseb = Tasche = poche <sup>7</sup> napról-napra = tagtäglich = chaque jour <sup>8</sup> engedelmükkel = mit Ihrer Erlaubnis = avec votre permission <sup>9</sup> pad = Bank = banc <sup>10</sup> ruhafogas = Kleiderrechen = porte-manteau <sup>11</sup> gyanúsít = verdächtigen = soupçonner <sup>12</sup> takaró = Decke = couverture <sup>13</sup> alábújik = sich verbergen = se cacher <sup>14</sup> lyuk = Loch = trou <sup>15</sup> meg-egyeztünk = übereinkommen = convenir <sup>16</sup> erszény = Börse = porte-monnaie <sup>17</sup> bankjegy = Banknote = billet de banque <sup>18</sup> hasra fekszik = sich auf den Bauch niederlassen = se coucher sur le ventre <sup>19</sup> megtapogat = betasten = tâter

## Fortuna cur sit caeca.

Fabula in tres actus divisa cum praeludio<sup>1</sup> ad fragmentum quoddam Aristophanis a Georgio Delamari conscripta et a radiophonica Budapestinensi statione (a .MCMXXXV. IX. Cal. Sept.) Hungarice vulgata.

*Argumentum<sup>2</sup> praeludii.* Xanthus, quidam viator<sup>3</sup> commercii<sup>3</sup> causā<sup>3</sup> cum Athenas pervenerat, de habitatione<sup>4</sup> Aristophanis sciscitatatur. Poëtam enim praesentem<sup>5</sup> cognoscere voluit, quod saepissime ab illo ad laetissimos cachinnos tollendos excitatus est. Aristophanes, facetissimus poëta co-

<sup>1</sup> előjáték = Vorspiel = prélude <sup>2</sup> tartalom = Inhalt = résumé <sup>3</sup> kereskedelmi utazó = Handelsreisender = commis voyageur <sup>4</sup> lakás = Wohnung = domicile <sup>5</sup> személyesen = persönlich = en personne

cum professore H. Villa «Iuventutem» legunt.





Fortuna.

micus Graecorum, forte in suo horto cum amico Protele de sua arte scribendi colloquia serebat. Poëta confirmavit homines suae memoriae omnibus sensibus<sup>6</sup> venustatis<sup>6</sup> carêre, ideoque se artem scribendi exercere iam nolle. Cum deinde Xanthus quoque adfuerat, Aristophanes — qui non aperit, quis esset — ei persuadebat<sup>7</sup> Aristophanem non esse «ioculatorem», sed «ingenium mordacissimum», qui fabulis homines docere et corrigere conatur.

Interim advenit et magister<sup>8</sup> gregis<sup>8</sup> histrionum,<sup>8</sup> qui poetam precibus fatigabat, ne fabulas componere et histrioniam<sup>9</sup> facere<sup>9</sup> desineret. Aristophanes respondet se exinde tantummodo eiusmodi fabulas daturum esse, quas ad vitia hominis carpenda aptas habeat. Novissime ad fabulam componendam aggressus est, qua testabitur, quam bonum sit fortunam esse caecam. Fortunam ipsa caecitas excusat, quod saepius hominibus indignis faciet dignosque suis donis orbat. Proteles Aristophanem rogat, ut fabulam inchoatam gregi recitet.

— Voluntati tuae cedo, dixit Aristophanes. At non ita recitabo vobis fabulam, uti nunc se habet, sed qualis — aliquando erit. Summo mihi gaudio erit, si ex fabula caecae fortunae narranda magnam laetitiam voluptatemque percipietis.

*Actus I. In Olympo.* Symphoniaci<sup>10</sup> in Olympo dissonum clamorem tollunt, cuius rei Iuppiter ab Apolline rationem<sup>11</sup> reposcit.<sup>11</sup> Apollo causam facti aperit. Timebat enim, ne lamentatio hominum ad aures Iovis perveniret. Iuppiter Mercurium advo-  
cat. Scire vult, cur homines fortunas suas querantur.

Musici conticescunt. Clamor terrestris crescit. Athenae apparent. Seditio inter homines exoritur. Homines de Fortuna, de dea oculis<sup>12</sup> obligatis<sup>12</sup> disceptant. Legatio ad caelum iam dimissa est. Legati sunt operarius,<sup>13</sup> mendicus<sup>14</sup> pius, vir sagax et turbator.<sup>15</sup> Legati obsecrant Iovem, ut ligamen-  
tum<sup>16</sup> de oculis Fortunae demat, ut illa pro cuiusque merito praemia donaque tribuat et imprimis pauperibus faveat. Iuppiter annuit. Legati deo nuntiant se Fortunam brevi Athenas venturam ligamento liberaturos esse, ut semper iustitiam colere et veram virtutem possit honorare.

Iuppiter dein legatis his verbis valedicit : «Pax vobiscum ! Miserrimi atque inquieti homines, velle — quamquam minime credo — magna spes vestra esset certissimum pignus beatitudinis.»

*Actus II. Ad portam Athenarum.* Cives Atheneenses unâ cum legatione Olympiaca ad portam Urbis adventum Fortunae exspectant. Dea rotae aureae insidens advenit. Statim nunciatur ei Iovem velle, ut ligamentum oculorum solvat. Demptis ligamentis gaudet et sole aureo perfusa laetitia exsultat.

*Actus III. In aedibus Fortunae.* Fortuna et Spes sermocinantur. «Dum tu caeca fuisti, dicit Spes, ego pauperes illo solatio consolabar, quod alia occasione et illi donorum tuorum participes esse possunt. Sed ex quo visu uteris, specie quadam virtutis assimulatae seducta dissipas bonâ tuâ.» Etiam Fors in sermonem<sup>17</sup> ingreditur<sup>17</sup> et Spes assentitur.

Legatio Olympiaca interim adit aedes Fortunae rogatque deam, ut turbam supplicantium excipiat.

Cum Fortuna supplicibus singillatim aures det eoque modo occasionem praebeat simulandi, veram virtutem non sentit et ideo sine exceptione iniurias facit.

Legatione et supplicibus dimissis inopinato advenit Paupertas, quae Fortunam perperam<sup>18</sup> egisse dicit et speculum<sup>19</sup> ei porrigit, quod imagines præteriti ac futuri temporis reddebat. Quae imagines testantur viros ingenii elatos, ut Homerum et Dante et Milton et Rousseau et Napoleon et Beethoven et alios multos a Fortuna neglectos esse. Dum de variis opinionibus disceptatur, unus ex legatis Olympiacis appetat et Fortunam impellit, ut in fugam se det. Homines enim propter iniurias acceptas seditionem moverunt.

Legatio denique decrevit Iovem iterum adire obsecrandi causâ, ut Fortunam oculis orbaret.

*Aem. Láng (Keszthely).*

<sup>6</sup> szépérzék = Schönheitssinn = sens de la beauté    <sup>7</sup> impf. de con.    <sup>8</sup> színidirektor = Schauspieldirektor = directeur du théâtre    <sup>9</sup> színművészeti üz = Schauspielerkunst ausüben = faire du théâtre    <sup>10</sup> zenész = Musiker = musicien    <sup>11</sup> felelős-ségre von = zur Rechenschaft ziehen = demander compte    <sup>12</sup> bekötöttszemű = mit verbundenen Augen = aux yeux bandés    <sup>13</sup> munkás = Arbeiter = ouvrier    <sup>14</sup> koldus = Bettler = mendiant    <sup>15</sup> lázító = Aufwiegler = agitateur    <sup>16</sup> kötés = Verband = bande    <sup>17</sup> belekapcsolódik = sich einlassen = se mélér    <sup>18</sup> helytelenül = unrichtig = injustement    <sup>19</sup> tükr = Spiegel = miroir

## LECTORIBUS MAIORIBUS

### *Carmen gratulatorium*

*Ferdinando Láng doctori, praesidi Societatis Philologorum Hung. septuagenario sensu reverentiae amicitiaeque pleno dedicatum ab Iosepho Wagger.*

*Quem nunc hic omnes celebrant, est carmine dignus.*  
*Carmen pancturum, Pegase, sume virum !*

*Non ego quotidianos versus fingere conor,*

*Nam multo maius est mihi propositum.*

*Septuaginta annis expletis ille modestus*

*Vir, praeses noster, nobilis atque agilis,  
Exegit monumentum vitae, nulla quod unquam*

*Destruet audacter posteritas hominum.*

*Magnas ille catervas duxit discipulorum*

*Ad Parnassum artis alliciens animos.*

*Quod Graeci pulchrumque bonum dicunt sapienter,*

*Huius virtutis optimus ille fuit*

*Non solum doctorque magister, sed simulacrum,*

*Et probitas eius insuperabilis est.*

*Ferdinande pater, dux noster, quo meliorem*

*Nemo unquam inveniet in chartis veterum,*

*Persuasum Tibi habe hoc : nos omnes pectore in imo*

*Tam memores semper Te venerabimur, ac*

*Si verus pater essem nobis, Omnipotentem*

*Orantes, ut Te servet amicum etiam*

*Nobis ad multos annos usque incolumemque, ut*

*Longaevis, felix nos quoque semper ames !*



## Librorum recensio.

**Kalamos János :** Szent István a királyok tizparancsolatáról Szent Imre herceghez. Latinul és magyarul. (Sancti Stephani regis de regum praeceptis decem. Latine et Hungarice. Stephaneum Nyomda R. T. Budapest. 1938. Pag. 64. Pretium 1.20 P.) Ioannes Kalamos hoc libello opusculum, quod St. Stephani nomine circumfertur, cum aliquot eius habeamus interpretationes, iterum in Hungaricum convertendum suscepit. Auctor libelli ipse se non doctis viris, sed populo interpretationem confecisse ait. In interpretatione nullum offendit gravius quoddam peccatum, attamen cum sit populi usui destinata, praestitit interpretationem paulo tertiorum efficere. Interpretationi praemissum est utile quoddam prooemium, quod scriptorem libelli optimis fontibus usum esse testatur.

**Magyar Diákklauz.** Kiadja a Mefhosz. Budapest, 1940. Ára 1 pengő. (Dux et comes Hungarorum Universitatis auditorum.) Saepe fit, ut gymnasia et eius generis scholas studii absolutis testimonioque maturitatis obtento relicturi cum ignari sint rerum, quae ad quaque studia persequenda sint necessaria, incerti haereant, quod vitae curriculum ingrediantur quamque vitae rationem capessant. His adolescentilis et adolescentibus hic libellus adiumento esse vult. Ibi enim enumerantur 1) omnes fere universitates aliaeque superiores scholae atque sub quibus condicionibus in eas ascribantur vel assumantur, accurate indicatur, 2) omnia fere instituta, id est internatus et mensae, in quibus studiosi aluntur et sustentantur et quo pretio assumuntur et quae mercedes pro alienio sint solvendae, significatur 3) denique omnes societates auditorum universitatum. Hunc libellum tam utilem ne dicam salutarem duco, ut omnibus testimonio maturitatis obtento gymnasia relicturis, cum tam vili pretio veneat, eius emendi auctor sim.

**Eduardus Mészáros :** Qua ratione Anonymus Hungarus in conscribendis Gestis suis Sacra Scriptura usus sit. Quinqueecclesiis. 1936. Pag. 40. — Facere nequaquam possum, quin gratulatione prosequar, quod a nostratis philologis neglectam vel dicam contemptam provinciam, Latini sermonis litteratam curam dico atque studium, suscepit atque tamquam novalia diu inulta proscidit et subegit sagacemque Latini sermonis indagatorem se praestitit. Isto autem libello Anonymum Hungarum sermonem et orationem Sacrae Scripturae imitatum esse magno exemplorum acervo congesto ita confirmavit, ut dubitationi nullus sit locus relictus. Ceterum Sacrae Scripturae vestigia etiam in decretis Hungariae regum passim apparere alias spero fore, ut mihi contingat evidenter ostendere.

Car. Ács Bp.

## AENIGMATA

### Solutiones aenigmatum numeri IV.

1. Rosa, olim, sido, amor. — 2. Senes, evado navis, edixi, Sosii. — 3. Janus, avis, nil, us, s. — 4. S, is, sis, Isis, visis. — 5. Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones, unda vehit tigres. — 6. Ovis, avis, avio, alio alio, agno, agna. — 7. Sutor 20 pengones (recte : perones et 4 pengones) amisit. — 8. Merula, ursus, salmo, testudo, equus, lepus, aquila : mustela. — 9. Nihil. Obsequium. Semel. Candida. Errare. Tu ne cede. Exigua. Ira furor. Parva. Sola, Usus est. Medicus : Nosce te ipsum. — 10. Uncus. — 11. Myron : Discobolus.

Aenigmata recte dissolverunt 148 discipuli ex 36 scholis Hungariae, et unus lector in Italia.

**Praemium sorte obvenit :** Clarae Göbler (*Szialgyianum*), Susanna Mihályi (*Angelanum*), Andreae Engel (*Baár-Madasianum*), Ladislao Lukács (*Bólyayanum*), Egoni Rosner (*gymn. IPEA*), Erhardo Noé (*Ladislainum*) *Budapestinensis*; Francisco Liska *Bajano*; Arpád Balla *Csurgonensi*; Ludovico Lenkei *Agriensi*; Alejandro Zala *Gyöngyösiensi*; Julio Héjja *Colocensi*; Rudolpho Pertorini *Ginsiensis*; Geysae Tokaji *Makonensi*; Nicolao Bajtsi *Mohácsiensis*; Joanni Höchst *Nyergesújfalu*; Thomas Balint *Papano*; Etelae Pinter *Scarabantinae*; Ladislao Páska *Szegediniensis*; Gabriela Lichtenberg *Ungváriensis*.

#### 1. Quadratum magicum.

1. 2. 3. 4.

1.				A A E E Patria Persarum.
2.				E E I O Regna!
3.				G G N N Terra, quae colitur.
4.				R R R R Imperator Romae

saec. I p. Chr.

Thomas Prohaszka disc. Madáchiani Bp.

#### 2. Pyramis.

1	Consonans.
2 1	Pars capitis.
3 2 1	Donum nuptiale.
4 3 2 1	Naso sentitur.
5 4 3 2 1	Casus vocabuli «modus».

Alexander Zala disc. Gyöngyösiensis.

#### 3. Angulus magicus.

AAAAE	Felix (femin.).
EEEB	Vivere, exstare.
SSS	Coniunctio obsoleta.
TT	Accusativus pronominis.
T	Consonans.

Georgius Illés disc. Szekszárdiensis.

#### 4. Ad saltum equulei.

a	ti	pe	a
lo	li	li	sen
re.	est	qui	Tur
ud	ud		

Julius Keresztenyi disc. gymn. Archiep. Bp.

#### 5. Scalae.

t a . . . .	Lentus, segnis, cunctator.
. t a . . .	Coniunctio.
. . t a . .	Multum bibere.
. . . t a .	Fert, vehit, portat.
. . . . t a	Trames, callis.

Zoltanus Biró disc. gymn. conf. Helv. Bp.

6. *Rebus.*

Mut	mut
-----	-----

Lad. Harsányi disc. Maurini (Pápa).

7. *Aenigma in cochleam retortum.*

M	E	S	E	S	I	V	L	U
E	T	R	E	V	E	R	M	P
M	I	T	E	R	I	S!	E	A
E	N	P	U	L	V	E	R	I
N	T	O	H	O	M	O,	Q	U

Haec verba sacerdos die cinerum sacrorum repetit.

Ioannes Szendrei disc. Makonensis.

8. *Ex syllabis.*

a ba bi co e in lali lis mul ni pe ra ri sa tec tor tu tu tus tus u ul us ven vi xes.

*Si ex hisce syllabis  
Voices composueris,  
Primae litterae  
Dant pulcherrime,  
Quod nos semper amamus  
Omnibusque laudamus.*

1. Mensis sextus.
2. Vin-dex.
3. Quod parvi pretii est.
4. Provincia Italiae antiquae.
5. Nomen virile.
6. Populus Europae Asiaeque.
7. Odysseus.
8. Insula Italorum.

Ladislaus Tamás Vesprimiensis.

9. *Crucigrama.*

1	2		3	4	5		6
			7				
8							8
			9				
10	11						12
13			10				
15			16	18	17	19	
20		21		22			
23							

*Ad libram:* 1. Princeps Parthorum. 7. Edas! 8. Filius Carmentae (d=n). 9. Pagus antiquus Helvetiae. 10. Urbs Mysiae. 13. Vadam, pergam. 14. Patres patrum. 15. Particula initialis. 16. Forma verbi «utor». 19. Particula interrogativa. 20. Forma verbi «uro». 23. Aedificia memorialia.

*Ad perpendiculum:* 1. Urbs Samnitica. 2. Armis exuo aliquem. 3. Parvus fluvius Illyriae. 4. Planta virens et ascendens. 5. Vestimenta bombycina. 6. Res ad insulam Salaminiam pertinens. 11. Forma verbi «absum». 12. Fructus vitis. 17. Mutus sine capite ac pede. 18. Vadere, pergere. 21. Particula interrogativa. 22. Praepositio.

Paulus Rossi disc. Lucanensis (Helvetia).

10. *Ex sententiis.*

- . . . . sed multum.  
humanum est.
- . . . . Iovi, non licet bovi.  
pro reo  
decorum est pro patria mori.
- . . . . sed vitae discimus.  
virtus.
- . . . . male dilabuntur.
- . . . . silent Musae.  
ad astra.

Expletis his sententiis litterae initiales proverbium notum dant.

Theresia Weiss disc. Giselani Bp.

*Nota.* Lectoribus minimis et mediis 1—7, maioribus 8—10. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem J. Wagner, (Budapest, XI., Lágymányosi utca 20)mittant.

Terminus solutionum: Calendae Apriles.

Certamen corrigendi (vide pag. 31 num. 4 m. Dec. a 1940) usque ad Calendas Apriles prolongatur.



*Corrigenda numeri V. (Jan.):* pag. 47: pro: «Ginciensi» lege: Ginsiensis. — pag. 48: Fr. Várad non Budapestensis, sed Szegedinensis est discipulus.

G. Lakatos dr. Dolendum est Te tamdiu aegrotare. Sed velim credere Te iam meliore valetudine uti atque mox iterum domum reddituram esse. Cura, ut valeas! — L. Vasvári. Gaudeo videns discipulorum tuorum haud paucos operam aenigmatibus solvendis dare. Euge, si quidem Ascraeus poëta recte cecinit «tes aretes hidrota theoi proparoithen ethekan». — M. Villa. 62 iocos, 43 aenigmata, 19 varia scripta multis imaginibus illustrata accepi, quae ordine edentur. Laudo iuuentutis Vestrae studium et diligentiam. Valete! — Index opusculorum variorum ante diem VIII huius mensis ab aliis ad me misserum: A) L. Rostás, J. Palkovits, Fr. Lisca, Z. Biró, classis II Levana singula, Al. Zala, R. Sulka bina, E. Réti, L. Almássy, G. Tokaji, J. Szendrei, N. Sugár terna, Ph. Merán 4, A. Koleszár 6 (34 omnino) aenigmata miserunt. B) Z. Vas, G. Tokaji, M. Ditrói singulos, P. Balogh, St. Dinka, G. Horváth, L. Csaba, J. Tóth, Th. Gergely binos, J. Néperi, Fr. Lisca, G. Illés terna, G. Diószsílágyi 4, B. Széchenyi 6 (34 omnino) iocos scripserunt. C) Alia opuscula quoque accepimus ab J. Jeney, Aem. Láng, Fr. Lenoch, M. Kánya, H. Ráz, M. Schmidt, C. Bárd, L. Tözsér, A. Pányi. — Iterum atque iterum moneo socios iuveniles, ut priusquam carmina componant, leges metricas discant. Errores enim metrici multo difficilius corrigi possunt, quam menda solutae orationis, quare carmina — sicut Horatius suadet — «nonum premantur in annum». Libri a L. Nékám, J. Ernyey, F. Günther, M. Kürti, E. Paoli ad me missi ordine recensebuntur.